



**B**asanus magna corporis & animi fortitudi-  
 ne fuit præditus. Itaq; Sycambri, qui iam an-  
 tea ex Scythiæ finibus progressi, in extremas Ger-  
 manix oris confederant, eum sibi ducem elege-  
 runt. Cum autem is gloriæ cupidus esset, commo-  
 diores terras quærere & occupare statuit. Erat au-  
 tem eo tempore Treueris & Vuormatia Vangio-  
 num urbes celebratissimæ atq; loco fertilissimo  
 non procul à Rheno sitæ. Itaque collectis copijs,  
 Anno mundi termillesimo septingentesimo de-  
 cimo, Basanus ad eas partes profectus nomina-  
 tos urbes ui occupauit, atq; adiacentem ditionem  
 sibi subiecit. Postea Treueris suam regiam collo-  
 cans, eam urbem per centum & quinquaginta annos cum suis successoribus  
 magna gloria gubernauit. donec tandem Iulius Cæsar eam proditione occu-  
 patâ, Romano imperio adiecerit. Vnde etiâ postea à Christianis ijs in locis, ob  
 antiquitatis celebritatē, Archiepiscopatus erecti fuerūt. Anon. in Archie. Vuor.